

De vetustissimo, quo Romani usi sunt, anno.

Nuper quum deliberarem, quid potissimum argumenti mihi sumerem ad conscribendam eam, quae hoc anno hujus scholae programmati, quod dicunt, adderetur, commentationem, locus ille occurrit in mentem, qui apud Livium lib. I. 19. de Numa Pompilio rege invenitur. „Atque omnium primum ad cursum lunae in duodecim menses describit annum; quem, quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, interealaribus mensibus interponendis ita dispensavit, ut quarto et vicesimo [quoque] — aut ut alii legunt — vicesimo anno ad metam eandem solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent“. Quas et quantas difficultates is locus interpretibus attulerit, quum omnes confiteantur, operae me pretium facturum esse credidi, si de anno ejusque descriptione apud Romanos diversis reipublicae temporibus pauca dissererem, quo, quantum in me est, aliquid illi loco luminis afferrem ejusque intelligentiam discipulis nostris, Livium legentibus, faciliorem redderem. Nequis tamen, quaeso, expectet fore, ut, id, quod ab hoc genere scripturae alienissimum esse judico, in subtilissimas spinosaeque hujus antiquae rei disquisitiones et doctissimorum hominum controversias dissensionesque disceptaturus descendam. Id potius agam, ut discipulis nostris, quod et ad eruditionem eorum accessionem aliquam afferre possit neque omni oblectatione careat, praebeam. Id si assecutus ero, nec oleum nec operam me perdidisse credam. — Angusti vero, qui huic dissertationi constituti sunt, fines quum non permittant, omnia, quae mihi proposui, hoc uno libello perscribere; anno Romanorum vetustissimo, quem Romuleum dicunt, exposito in praesenti acquiescat benivolus lector. Valetudinem autem integram otiumque si mihi suppeditarit Deus propitius, quod supra promissi reliquum est, proxima data occasione, me allaturum esse polliceor.

Si quis cogitaverit, rudissimos ipsos imperitissimosque populos facile perbreveque perspexisse, sole oborto lucem sibi ad conficienda sua negotia maxime necessariam dari ejusdemque sideris vi et potentiae, quod omnia maximis auctibus erescant, vivant et floreat et totam denique agrorum fertilitatem omnium maxime acceptam referre, mirum videri potest, quod omnes fere ultimae antiquitatis populi non ad cursum solis, multo gravioris sideris, sed potius lunae temporis rationem instituerunt. At qui consideraverit, ortum solis quotidianum esse eoque ipso, quod quotidie fit, nihil, quod jam mirentur homines, habere, neque, qua ignorantia tum erant et imperitia, intelligere poterant causas

Quid tantum Oceano properent se linguere soles

Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet;

qui denique reputaverit, novum solem semper eundem in hominum conspectum se dare, ad novas eos semper operas laboresque adducere, non erit, cur admiremur, quod lunae, perpetuo sua cornua varianti, per amica tacitae noctis silentia viatorem, perfectis laboribus defessum, domum ad dulcem blandamque quietem, vires fractas recolligentem, comitanti homines antiquissimi anteposuerunt soli

Purpureum rapido qui vehit axe diem.

Quid, quod scimus, quum luna semper a veteribus triformis dea, montium custos ac nemorum virgo, et Lucina, quae voto parturientis adesset, et Proserpina, inferni pollens regina tyranni, piissimis coleretur votis, Homericum illum *Ἥλιον*, certe hoc nomine, nunquam in numerum magnorum deorum esse relatum.

Quae quum ita sint, minime nobis mirum videri debet, quod amicum illud lunae sidus, ejus lucidus orbis non, ut solis radii, spectantium visus praestringit, hominibus, qui nulladum doctrina exulti, quidquid cognoverant, natura, non literis erant assecuti, carissimum et maxime venerabile esse coepit.

Quam ob rem ubique fere gentium nautae, quocumque navibus in ignotas pervenerunt terras, et diversissimis temporibus hanc opinionem pervulgatam esse invenerunt, et lunam et terram eidem fortunae esse subjectam. Atque quo angore et trepidatione incolae orbis novi, luna deficiente, afficiebantur, et quo studio capiebantur, ut lunae afflictae et laboranti, omnis generis strepitu edito, subvenirent, eodem omnes fere ultimae quoque antiquitatis populi tenebantur. Perbrevis autem tempore quum homines vel rudissimi animadvertissent, solem orientem sibi lucem, occidentem tenebras et obscuritatem afferre, eum et diei et noctis auctorem esse judicarunt. Sed lunae ejusque formae mutationes, postquam, certis temporibus intermissis, homines semper easdem redire cognoverunt, causas iis attulerunt, quibus majora temporum spatia, ut menses et annum, constituerent.

Inde factum est, ut praeter multos alios antiquitatis populos, eruditissimi quoque, Graeci et Romani, ad cursum potius lunae, quam solis, civilem annum dispensarent describerentque. Si vero, quae a veteribus de forma anni, quem Romulus nuper conditae dedit civitati, literis mandata sunt, inter se comparerent, non minus magnas inter antiquos scriptores de hac re opinionum dissensiones, quam inter recentioris temporis viros doctos, qui temporum rationi operam navarunt, controversias animadvertimus. Sed tamen quomodocumque res se habet, hoc nullo pacto ambigi potest, priusquam Numa Pompilius ad regnum perveniret, Romae annum decem mensium fuisse. Praeterquam enim, quod Decembris, ultimi hujus anni mensis, nomen hoc probare potest, testis est non solum Ovidius fast. l. 27.

Tempora digereret cum conditor urbis, in anno

Constituit menses quinque bis esse suo. — et fast. III 121.

Annus erat decimum quum luna repleverat orbem.

verum etiam Macrobius Saturn. l. 12, annum decem mensium fuisse dicit. Ejusdem rei auctores sunt Gellius N. A. III. 16. 16. Solinus Polyh. c. 3. Plut. in vita Numae. c. 19 et Florus l. 2. 2. Atque Censorinus de die nat. c. 20. singulis hujus anni mensibus nominatim commemoratis, quem singuli habuerunt numerum dierum, adscribit annumque trecentorum et quatuor dierum fuisse affirmat.

Annus autem ille Romuleus decem mensium dierumque trecentorum et quatuor quum neque cum lunae neque solis congrueret cursu, fieri non potuit, quin, quum suo semper tempore competere non possent singula tempora anni, nonnunquam usu veniret, ut frigus aestivis mensibus et contra calor adventaret hiemalibus. Id ne accideret, quamquam Macrobius Sat. l. 12. Romanos tantum dierum sine ullo mensis nomine absumi passos esse contendit, quantum ad id anni tempus adduceret, quo coeli habitus instanti mensi aptus inveniretur, hoc tamen complures, qui in hac re exploranda versati sunt, scriptores commovisse videtur, ut annum decem mensium unquam a Romulo constitutum esse prorsus negarent. Talis enim annus Licinio Macro, Ciceronis aequali, et Fenestellae, qui Augusto imperatore vixit, aliisque qui, quae posteriorum temporum homines de anno dispensando statuerunt, secuti sunt, tam ineptus atque absurdus visus est, ut statim ab initio annum tantummodo duodecim mensium Romae fuisse affirmarent. cf. Cens. d. d. nat. 20. — Atque Plutarchus unquam talem fuisse Romanis annum adeo percipere non potuit, ut in Numae vita — quamquam suis judiciis non semper et ubique perstare videtur — Romanos, Romulo

regnante, inconditos inaequalesque menses habuisse scriberet, quorum alii quinque et triginta atque etiam plurium dierum, alii ne viginti quidem fuissent, quippe quum Romani id tantum spectassent, ut annus trecentos sexaginta haberet dies. De quibus, quos supra nominavi, viris quamquam Censorinus l. l. dicit, magis, quam illis credendum esse, Junio Gracchano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque, tamen Julius ipse Scaligerus, vir ille clarissimus doctissimusque in libro, quem de emendatione temporum edidit, quae illi affirmaverant, comprobavit.

Verum enim vero Idelerus, qui nuper de temporum ratione scripsit — cf. *Chronologie* II. 29. — annum quidem decem mensium Romuli quondam temporibus Romae in usu fuisse credit, sed trecentos eum et quatuor dies habuisse iisdem fere causis, quibus, quos supra commemoravimus scriptores, commotus negat, atque, quae nobis de hoc anno Censorinus l. l. affert, inde profecta esse censet, quod, quum menses posterioribus temporibus dierum aut triginta aut unius et triginta esse solerent, ille singulis Romulei anni mensibus eundem numerum attribuisset. Immo vero hoc putat, menses anni Romulei, etiamsi numero decem, tamen dierum multitudine — sicut etiam Plutarchus prodit — aequales non fuisse, et aut ad ea, quae certis temporibus de coelo fierent, verbi causa, ad ortum vel occasum quorundum siderum, aut ad negotia, quae singula anni tempora ut curarentur perficerenturque postularent, descriptos fuisse, ita ut annus ille decem mensium, quantum populi ineruditi et rudis usus vitae necessarii desiderarent, ad solis cursum conveniret. Sic Varro de re rust. l. 27-37. Eodem modo incolae quoque Kamschatkae peninsulae decem mensium anno, ut, qui nuper hac in terra peregrinati sunt, narant, secundum occupationes suas diviso, uti dicuntur.

Sed tamen aut omnis fides historiae est deneganda atque funditus tollenda, aut Romuli temporibus et postea singularem annum eumque trecentorum et quatuor dierum in usu fuisse credendum est. Ista anni forma cur apud veteres Romanos fuerit, Niebuhrus in prima suae historiae Romanae parte p. 304-317 gravissimas attulit causas; quas si cum iis conjunxeris, quae a veteribus scriptoribus de eadem re memoriae prodita sunt, ea majoris sunt ponderis ac momenti, quam ut ambigere possis, utrum talis annus fuerit necne. Quae gravissima sunt, breviter hoc loco attingam. Apud Etruscos enim finitimos, unde Romani multa alia sumpserunt cf. Liv. l. 8. — noni quique dies, qui inde nundinae appellabantur, dies erant negotiosi, quibus reges civibus aditum ad se dabant, jus dicebant, et de negotiis, quae quisque habebat, consulebantur. cf. Macrob. Sat. l. 15. Item apud Romanos noni quique dies nundinae fuerunt, quibus rustici ad mercatum, et ad judicia et ad leges accipiendas fereudasque et, lege Hortensia lata, ad lites quoque componendas in urbem veniebant cf. Macrob. l. 16. Annus autem ille Romuleus in decem menses descriptus, quum octies triginta et octo haberet dies, triginta et octo habuit nundinas atque totidem dies fastos habuit Calendarium, quod dicunt, Julianum. cf. Manut. de dierum ratione. His diebus fastis praetori tria illa verba Do, Dico, Addico, quibus omnem suam jurisdictionem absolvebat, licuit dicere. cf. Ovid. fast. l. 47.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur;

Fastus erit, per quem lege licebat agi. —

Itaque illi Etruscorum dies negotiosi ad peragenda fori negotia inter Romanos permanserunt; quibus quidem postea, quum ad omnia peragenda negotia non sufficerent, alii sub aliis nominibus, ut intercisi, quibus certis tantum horis jus dicere licitum erat, additi sunt. cf. Ovid. l. l. v. 48-52.

Neu toto perstare die sua jura putaris

Qui jam fastus erit, mane nefastus erat;

Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari

Verbaque honoratus libera praetor habet.

et Varro de l. l. VI. 4. „Intercisi dies sunt, per quos mane et vesperi (lege agi) nefas, medio tempore inter hostiam caesam et exta porrecta est fas.“

Quamquam his expositis vix quisquam erit, qui dubitet, quin quondam apud Romanos annus ille decem mensium in usu fuerit, tamen ne dubitatio ne levissima quidem resideat, ostendere conabimur, hoc anno Romanos posterioribus etiam temporibus in pactionibus foederibusque faciendis esse usos. Livius enim — cf. Lib. IV. 35 — Vejentibus ab Romanis viginti annorum inducias anno trecentesimo vigesimo nono, quarum tempus jam anno trecentesimo quadragesimo septimo exiisset cf. c. 58 datos esse narrat. Hoc quomodo fieri potuerit, explicari non potest, nisi in hujusmodi rebus constituendis Romanos annis decem mensium usos esse sumpseris. Nam sex anni decem mensium continent quinque annos solares, ergo viginti illorum annorum sedecim et duas e tribus partes horum explent: ita ut, rem si subtilius exquisieris, induciarum tempus anno trecentesimo quadragesimo sexto jam exiret. Quae quum ita sint, non eget locus emendatione, quam proponit Heusingerus.

Eodem modo octo annorum pacem, cum Volscis factam et jurejurando sancitam, septem annis transactis, jam finem cepisse videmus, neque ab Romanis crimini datum est Volscis, quod jurejurando violato bellum ante tempus renovassent.

Ad hoc accedit, quod annus ille decem mensium tempus constitutum erat, quod viduis in luctu esset transigendum. cf. Ovid. fast. 1. 35.

Per totidem menses a funere conjugis uxor

Sustinet in vidua tristia signa domo. — et l. III. 33.

Adsuetos igitur numeros servavit in anno;

Hoc luget spatio foemina moesta virum. —

Idem affirmant Cic. pro Cluentio; Plut. in Numa; Seneca de consolatione ad Helviam CXXII. et ep. 73. —

Denique imperatores Valentinianus et Theodosius anno decem mensium duos ad induenda vestimenta lugubria addunt menses. cf. Cod. Theod. LII. de nuptiis secundis; unde sequitur, ut ejusmodi annus Romanorum civilis usque ad hos imperatores permanserit. —

Praeterea idem annus tempus, legibus praestitutum, erat, quo dotes et praemia frugum, non praesenti pecunia emptarum, exsolvenda erant.

Quae res quamquam ita se habet, tamen vix dubitari potest, quin Romani praeter hunc annum decem mensium alio usi sint, in quo, mensibus intercalariis interjectis, et dies et menses cum solis ratione et quatuor anni temporibus magis congruerent. Id nobis, lustrorum saeculorumque rationibus accuratius expositis, Niebuhrius quoque loco, supra laudato, demonstrare studet. Quod quamvis magno ingenii acumine et subtilitate vir ille clarissimus nobis explicare atque probare det operam, tamen ejus sententiae a multis et imprimis ab Idelero valde repugnatum est. Gravissima autem, quae illi argumentationi possunt opponi, haec esse videntur, quod viginti duorum lustrorum spatio, ut ejusdem dierum numerum Juliani calendarii saeculo totidem lustrorum, quam exactissime fieri potest, exaequet, quatuor et viginti dies bis vult interponi, ac quidem exeunte undecimo et altero vicesimo lustro. Quam intercalandi rationem quibus argumentis, ex scriptis veterum petitis, nobis confirmare atque probare velit Niebuhrius, nescio, nisi forte ex loco Censorini de die nat. c. 20 id cogi et effici posse credit; qui quidem diserte dicit: singulos in Italia populos et imprimis Romanos annum suum diebus aut mensibus intercalariis interpositis cum anno, qui solstitiali circumageretur orbe, congruentem reddere studuisse: nam ut alium Ferentini, inquit, alium Lavini, alium Albani vel Romani habuerunt annum, ita et aliae gentes. Omnibus tamen fuit propositum, suos civiles annos varie intercalandis mensibus ad verum illum naturalem corrigere.

Magna de hac re inter hominum doctorum et antiqui et recentioris temporis sententias controversia nescio an nullo modo facilius et melius componi et tolli possit, quam si praeter illum decem mensium et trecentorum quatuorque dierum annum rituales, in quo ad cursum lunae sacra et festa dirigebantur, alium quoque civilem annum trecentorum sexaginta quinque dierum, quali Aegyptii utebantur, in usu fuisse statuamus, cujus primi decem menses eadem, quae illius anni ritualis, nomina gerebant, quibus duo dierum sexaginta unius menses, Jano et Februo sacrati additi sunt. Hoc posito ac concesso, quae Licinius Macer et Fenestella contenderunt, Romanos statim ab initio annum tantum solarem duodecim mensium habuisse, cum iis convenient, quae Junius Gracchanus, Fulvius, Varro, alii affirmant, apud Romanos annum decem mensium in usu fuisse; neque haec sententia cum iis, quae Servius ad Virgilio Georg. 1. 43 de anno Romano exponit, discrepabit. Hoc enim dicit. „Et sciendum, ait, decem tantum menses fuisse apud majores Duo vero propter rationem signorum anni intercalabantur, qui postea a Jano et Februo nominati sunt.“ — Sed haec hactenus de anno Romanorum vetustissimo decem mensium. Nam in eruenda antiquitate, ubi rerum gestarum monumenta deficiunt, non subtilissima quaeque exigi possunt. Qui enim in talibus annis, neque ad lunae neque ad solis cursum accurate descriptis, singulas horas et minima temporis puncta computare conatur, is mihi, ut in proverbio est, laterem lavare videtur. Restat ut, quamquam mihi non omnia de anno Romuleo singillatim disserrere, sed qua mihi maxime memorabilia videntur, exponere propositum est, de mensibus eorumque appellationibus pauca adjungam.

Primus, a quo Romulus annum suum incepit, mensis Martius fuit. Martis, patris sui, honoris causa hoc mensi nomen datum esse, non solum Ovidius fast. III. 75. docet:

A te principium Romano ducimus anno:

Primus de patrio nomine mensis eat.

Vox rata fit; patrioque vocat de nomine mensem.

sed etiam Macrobius Sat. 1. 12 primi anni mensem Marti, genitori suo, dicavisse dicit. Hujus etiam mensis prima die ignem novum Vestae aris accendebant, ut incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet. Eodem ingrediente in regia curiisque atque Flaminum domibus laureae veteres novis laureis mutabantur; publice et privatim ad Annam Perennam sacrificatum ibatur, ut annare, perannare commode liceret. Hoc denique mense mercedes exsolvebant magistris; comitia auspicabantur; vectigalia locabant, et matronae, ut Saturnalibus domini, servis apponebant coenas.

Aprilis, secundi mensis nomen unde derivandum sit, valde inter se discrepant doctorum hominum et veteris et recentioris temporis sententiae. Alii quum Romulum huic mensi nomen dedisse putent Veneris honoris causa; id deducunt ἀπὸ τοῦ ἁρροῦ, sive Ἀρροδίτης cui, ut Marti patri primum, sic secundum mensem sacraverit tamquam generis sui per Aeneam auctori. Ita Ovidius fast. IV. 25.

Utque fero Marti primam dedit ordine sortem

Quod sibi nascenti proxima causa fuit,

Sic Venerem, gradibus multis in gente repertam,

Alterius voluit mensis habere locum. — et Horatius Carm. IV. II. 15.

Qui dies mensem Veneris marinae

Findit Aprilem.

Huic autem nominis deducendi mensemque denominandi rationi non modo Cincius in eo, quem de fastis reliquit, libro repugnat, causa interposita, quod nullus dies festus nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a majoribus institutum fuisset, et ne in carminibus quidem Saliorum Veneris, ut

ceterorum coelestium, ulla laus celebraretur, sed etiam Varro, qui nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos fuisse affirmat. Quam ob rem alii ab aperiendo nomen derivant, quod tunc natura nascendi claustra aperire et terra, crescente in dies solis tepore, viscera tamquam sua recludere et frugum herbarumque copiam effundere incipiat.

Nam quia Ver aperit tunc omnia, densaque cedit

Frigoris asperitas, foetaque terra patet;

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Eadem ratione idem fere anni tempus apud Athenienses ἀνθιστηρίων vocatur, quod tum omnia florescunt.

Sunt denique, qui nimia quadam, credo, doctrina et subtilitate mensis nomen a Pale, veterum Italicorum dea sive deo pabuli et rei pecuariae, derivent, cujus in honorem Palilia, id est, Parilia, (cf. Cic. Div. II. 47.) instituta erant, quae solemnia XI. a. d. Cal. Maj., quo die Romulus prima quasi urbis suae fundamenta posuerat, celebrabantur. cf. Ovid. f. IV. 819.

Apta dies legitur, qua moenia signet aratro;

Sacra Palis suberant; inde movetur opus.

A voce Parilium, transposita litera a, nomen Aprilis ductum esse dicunt.

Tertium qui obtinet locum mensis, Majus, unde traxerit nomen, alii alia produunt. Jam Ovidius fast. 5. 1. dicit:

Quaeritis, unde putem Majo data nomina mensi,

Non satis est liquido cognita causa mihi.

Servius ad Virg. Georg. I. 43. et Fulvius Nobilior in fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit, Romulum, populo in majores junioresque diviso, altera pars ut consilio, altera ut armis tueretur rempublicam, in honorem utriusque partis hunc Majum et sequentem mensem Junium vocasse dicit. cf. Macrob. S. I. 12.

Inde utrumque mensem nomen suum invenisse quamvis non dissentiat Ovidius, cf. Fast. V. 73.

Hinc sua majores posuisse vocabula Majo

Tangor et aetati consuluisse suae.

Et Numitor dixisse potest: Da, Romule, mensem

Hunc senibus; nec avum sustinuisse nepos.

Nec leve praepositi pignus successor honoris

Junius, a juvenum nomine dictus, habet.

tamen a Majestate, dea, filia Honoris et Reverentiae, mensem denominatum esse non abnuat. cf. Fast. V. 47.

Venit et in terras; coluerunt Romulus illam

Et Numa; mox alii tempore quisque suo.

Qui versus, si consideraveris, quomodo cum anteedentibus cohereant, facile eos ita intelligendos esse invenies, ut non solum Romulus, sed etiam, qui eum in regenda civitate secuti sunt, Majestatis honoris causa huic mensi nomen Majo indiderint: quamquam alii hujus mensis nomen ad Romanos fastos a Tusculanis transiisse commemorant, apud quos deus Majus, qui est Jupiter, Macrobbii etiam temporibus vocabatur, a magnitudine scilicet ac majestate dictus.

Sunt denique, qui, etiamsi omnes ex Maja nomen suum Majum mensem cepisse uno ore consentiunt, tamen, quae Maja illa fuerit, in diversissimas discedant sententias. Cincio, qui Majam Vulcani uxorem fuisse dicit eamque huic mensi nomen imposuisse eo utitur argumento, quod flamen Vulcanalis Calendis Majis deae rem divinam fecisset, adversatur Piso, qui contendit, Vulcani uxorem non Majam, sed Majestam

vocari. At Ovidius Majam Mercurii fuisse matrem, ex qua mensis nominatus esset, ostendit hisce versibus: fast. v. 103, et 104.

At tu materno donasti nomine mensem
Inventor curvae, furibus apte, fidis. — et fast VI. 35 et 36.
An potuit Majo pellex dare nomina mensi
Hic honor in nobis invidiosus erit?

neque dissentiunt alii, quod hoc mense mercatores omnes Majae pariter et Mercurio sacrificassent. Multi alii, in quibus Corn. Labeo, hanc Majam terram esse et nomen suum a magnitudine cepisse affirmant, quod suam ei praegnantem, quae hostia propria esset terrae, mactaretur, atque eidem sub nomine Bonae Deae Cal. Majis dedicatam esse aedem. Sed omnes omnium de hac re opiniones recensere longum est; quas quidem qui accuratius doceri velit, adeat, quaeso, ipse Macrobius, qui loco saepius laudato copiosius de hac re disseruit. Nunc transeamus ad Junium, qui sequitur, mensem, ut de ejus quoque nominis originatione pauca addamus.

Ex versibus, quos jam supra ex fastis de origine nominis Maji mensis attulimus, quibus ex libro VI. v. 88 addi potest:

Junius est juvenum; qui fuit ante senum. —

quamquam satis elucet Ovidii sententia, nomen hujus mensis aut a juvenum aut ab ipsius Junonis nomine esse deducendum, tamen aliam adjecit nominis causam, ex junctione Tatii, regis Sabinorum, et Romuli ductam, cf. fast. VI. 96.

His nomen junctis Junius, inquit, habet.

Recensitae hoc loco, cur suum uterque mensis nomen acceperit, causae quamquam poeticis quibusdam involutae sunt figmentis, tamen omnes pedestris quoque orationis scriptores, alii aliam earum comprobant, ut Fulvius Nobilior, Festus, alii; quamobrem eorum sententias diligentius hic exponere mihi supersedere posse videor. Macrobius quidem nonnullos mensem a Junio Bruto, qui primus Romae consul factus esset, nominatum putavisse dicit, quod Calendis Junii, pulso Tarquinio, sacrum Carnae deae in Caelio monte voti reus fecisset. Varro autem Romanos a Latinis nomina mensium accepisse arbitratus, auctores eorum antiquiores, quam urbem, fuisse, satis argute docet.

Reliquos menses ab ordine, quem post Martium obtinuerunt, nomen traxisse apertum est. Nam Julius, cui antea nomen Quintilis fuisse constat, postea in Julii Caesaris dictatoris honorem, M. Antonio, M. filio legem ferente, Julius appellatus est, quod Caesar hoc mense a. d. IV Idus quintiles procreatus erat cf. Macrob. Sat. I. 12. Qui sequitur Sextilis ab Augusto postea traxit nomen ex senatusconsulto, quod ob praeclarissimas, quas ille hoc mense gesserat, res factum, idem Macrobius l. l. literis custodivit.

Paulo aliter Suetonius quidem in Augusto rem narrat: „Annum, inquit, a divo Julio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum atque confusum, rursus ad pristinam rationem rededit; in cujus ordinationem Sextilem mensem e suo nomine nuncupavit, magis quam Septembrem, quo erat natus; quia hoc sibi et primus consulatus et insignes victoriae obligissent.“ Augusti exemplum secutus Domitianus Septembrem mensem, Germanici cognomine assumpto, Germanicum et Octobrem ex suo nomine Domitianum nominavit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset. cf. Suet. in Domitiano. „Sed ubi infaustum vocabulum, inquit Macrobius l. l., ex omni aere vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicae appellationis exuti sunt. Cautio postea principum ceterorum, diri ominis infausta vitantium, mensibus a Septembri usque ad Decembrem prisca nomina reservavit.